



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Ob id Faber accusatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

diam matrem Iustorum in pace requiescere. Et fanè Iacobo repentina magis acciderat, quàm improuisa migratio. Nam & admodum piè vixerat, & inter cetera pietatis documenta, quibus ad supremam se horam comparauerat, vestimenta sua præcipui splendoris, ac præcij sacerdotibus iusserat ad ornatum sacrorum attribui. Componēdis iam Petrus tenebatur rebus domesticis, & patrimonij etiam ex Euāgelij præscripto sua parte in vsus pauperum conferenda, cùm à Fabro, qui ex Lusitanico itinere Coloniā reuocatus erat, ad maturandū reditū inuitatur. Adfuit ille confestim, malens de pecunia quiduis, quàm de obedientia quicquam perire: nec rediit sine Apostolica præda. Quippe tres secum adolescentes adduxit, qui omnes Fabro magistro ad asceticam beati Ignatij normam exerciti, religiosi sese cœtibus addidere, nobis vnus, duo Carthusianis. Sed quam rediit Canisius ad Christi crucem, suumque Fabrum lætus, & alacer, tantum propinquis, præcipueque Nouercæ (quam de cetero nihil minus quàm Nouercam sibi ipse testatur fuisse) desiderium, ac moerorem reliquit: quem demum, in Fabrum ac erbius versi, querimoniis, & conuiciis effuderunt:
eum

*Res suas in
pauperes
confert.*

*Ob id Faber
acensatur.*

cum sibi subsidium domus Canisium; Canisio
 mentem, ac facultates eripuisse criminantes. Pu-
 blica fuit hæc querimonia ubiq; locorum, ac tem-
 porum, estque hodie, & erit semper. Tamen enim
 Christianos se mortales profitentur, tamen ubi de
 carorum, ac multò ferè magis de fortunarum di-
 stractione, atque amissione agitur, decreta Christi
 in alienis citius, quàm in suis probant. Usque adeò
 ducimur, decipimurque oculis: & æternitatis in-
 uisa facies parum mouet. Deplorauit hanc peruer-
 sitatē Faber in literis, quibus purgare se, & placare
 sceminam studuit. Testatus enim nihil in suam
 rem è facultatibus Petri auersum, Paucis curæ est,
 inquit, quonam anima Magistri Petri perueniat:
 sed id grauiter, & molestè multi ferunt, si quæ he-
 reditario iure illi obuenerunt, alienentur. Dole-
 mus glebam à gleba disiungi, animas verò nostras
 à suo creditore Deo, cui adherescere summæ est fe-
 licitatis, abstrahi auellique non dolemus. Quanti
 verò ipsum Canisium faceret, paulò antè demon-
 strarat his verbis. Ego cùm videam honestissi-
 mum, & optimum adolescentem firmissimo spi-
 ritus, & amoris glutino mihi coniunctissimum,
 ac vnum prope mentis, ac voluntatis consensione

*Qui se, & Ca-
 nisium egre-
 gio defendit.*

E

factum